



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 17. Circa externum Charitatis effectum, qui est fraterna Correctio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Seçt. II. De Charitate, Dubia. 155

tum esse sic acceptum restituere. Cuiam vero hæc restitutio sit facienda, requiro? Debet sic accipiens elemosynam, eam ei qui dedit, restituere, præcipue si res sit magni momenti. Quia id fuit velut ex furto acceptum: quod autem ex furto acquiritur, domino est reddendum. Sic Lessi. lib. 2. capit. 18. dub. ult. numer. 132. Sotus lib. 9. de iust. quæst. 7. artic. 3. & alij.

189
Restituere non debet ei qui dedit, sed pauperi.
Non debet accipiens sic acceptum restituere ei, qui dedit, sed executioni mandatur voluntas donantis: hæc enim facit, à se dominum abdicare, pauperibus tribuere; quæ voluntas ob simulatam paupertatem non potuit effectum obtinere. Ita Nauar. summ. capit. 17. numer. 107. Caiet. summ. verb. Restitutio, capit. ultim. capit. casu 4. Medin. Cod. de restit. quæst. 12. 4.

190
Ego autem crediderim cum Valsquo de elemosyn. capit. 3. dub. ultim. numer. 24. vtrique restitui posse, & domino & vero pauperi, cui simulatus inops maluerit. Domino quidem, quia illius est: pauperi, quia dum non constat voluntatem retractasse, censetur, in priori voluntate persistere, quæ fuit, velle re illam à se abdicare, & pauperibus tribuere. Ergo pauper factus reddens id veris pauperibus voluntatem domini exequitur, & iuxta eius beneplacitum de re disponit.

DUBIUM XLII.

Regulares Mendicantes possuntne ab Ordinario impediri, nè pro suis Conuentibus elemosynas petant?

191
Nonnulla præmittit.
Elemosynarum quætores, quia falsas Reliquias, indulgentias, ac facultates publicabant, indecenterque cum non leui Christianæ Reipublicæ detrimento vivebant, in cap. Cum ex eo, de penit. & remis. & Clement. 2. eodem tit. statuitur, ne absque facultate Sedis Apostolicæ vel Diocesani Episcopi hoc munus gerant. Et Trident. sess. 5. c. 1. decreuit, ne quætores elemosynarum, qui Quæstarij vultu dicuntur, cuiuscumque conditionis existant, nullomodo, nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, privilegijs quæcunque non obstantibus, opportunis remedijs omnino arceantur. At quia hæc prohibitio sufficiens non fuit, ut illorū malitia retunderetur, sess. 1. cap. 9. Concilium statuit, ut post hac in quibuscumque Christianæ Religionis locis eorum nomen, atque usus penitus, aboleatur neque ad Officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus privilegijs Ecclesiæ, Monasterijs, hospitalibus, pijs locis & quibusvis cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Iam requiro, vtrū Regulares Mendicantes possint ab Ordinario impediri, ne pro suis Conuentibus elemosynas petant?

192
Possunt quidem. Quia in præfato decreto

reuocantur omnia priuilegia tam Monasterijs, quam singularibus personis cuiuscumque conditionis existant, concessa. Sic nonnulli Theologi.

293
Non possunt.
Minimè possunt. Quia à Sede Apostolica constituuntur Mendicantes. Ergo nequid eis mendicatio ab Ordinariis prohiberi. Et quia non sibi, (vt quæstuarij illi) sed communitati elemosynas quærent, cum proprium habere non possint: ergo non sunt proprie quætores à Concilio prohibiti. Ita Nauar. lib. 3. de Regular. capit. 79. numer. 4. Manuel. tom. 2. qq. Regul. quæstion. 57. artic. 7. Barbosa 3. p. alleg. 109. numer. 7.

294
Eloc terent. dū existimo.
Omnino hoc tenendum esse defendo. Quia Sacra Concilij Congregatio declarauit anno 1621. Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diocesis, vbi habent Conuentus, elemosynas quærant, sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant, queritate voluerint, teneti suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere. Quod si comperit fuerit licentiam à suis Prælati habere, etiam extra præfata loca impediri non possunt.

CAPVT XVII.

Circa externum Charitatis effectum, qui est fraterna Correctio.

DUBIUM XLIII.

An præceptum fraternæ Correctionis oriatur ex Charitate Dei, & proximi?



295
Nonnulla suppono.
VERBONON, aliam esse correctionem fraternam aliam iuridicam: fraternam quidem, quia primo & per se bonum proximi intendimus: iuridicam, qua per se bonum aliorum, qui per peccatum vnius scandalizantur, & bonum commune spectamus. Fraterna correctio potest à patre in filium à filio in patrem: ab inferiore in superiorem, à superiore in inferiore exerceri. Iudicialis vero non potest esse ab alio, quam à Superiore potestatem iurisdictionis habente. In præfati sermo est præcipue de fraterna correctione. De qua præceptum esse, nemini Catholico potest esse dubium. Eccles. 19. Corripe amicum, corripe proximum. Traditur expresse in cap. Tam Sacerdotes. 24. quæstion. 3. Hoc autem præceptum affirmatiuum est, ac proinde solum obligat, cum aliquæ circumstantiæ interueniunt. Tres sunt potissimæ. Prima, vt proximus in gravi spiritali necessitate sit constitutus. Secunda, vt possimus ei absque gravi nostro, nostrorumve incommodo subuenire. Tertia

Tertia, ut fructus ex tali correctione speretur. Quæserim in primis, ex quam virtute hoc præceptum oriatur? An ex Charitate Dei, & proximi?

²⁹⁶ Non oritur ex Dei, vel proximi Charitate, sed ex illa virtute, aduersus quam proximus delinquit. Quia quælibet virtus nos inclinat, non solum in nobis eius honestatem conseruare, & contraria fugere, sed etiam in aliis. Sic aliqui Doctores, quos pressis nominibus memorat Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 1. num. 6.*

²⁹⁷ Oritur ex Charitate Dei, & proximi. Quia hæc virtus obligat, quodlibet malum à Deo, ac proximo auertere, quoad fieri possit: sed peccatum est vtrique malum: ergo obligat illud auertere. Averti autem debet correctione: ergo obligat, ad correctionem exercendam. Ita Diu. Thom. 2. 2. *quæstione trigesima secunda, art. 2. Palao citatus. Coninch. 2. 2. disp. 28. dub. 2. à num. 12.*

²⁹⁸ Hanc sententiam vnice defendendam esse iudico. Neque enim obstat, quamlibet virtutem nos inclinare, ut eius honestatem tam in nobis, quam in aliis procuramus conseruare. Quia esto ad id inclinet, non tamen obligat: alias contra honestates delinqueret, quoties luxuriantem non impediret: & contra iustitiam, quoties furantem non corrigeret. Quod dicendum non est, quia neque ex omissione correctionis luxuriosi intemperans es, neque iniustus ex omissione correctionis iniusti.

DVBIVM XLIV.

Proximus in peccato habituali existit, absque periculo iterum actuale ali- quod committendi: Estne nobis Correctionis gerenda obligatio?

²⁹⁹ Est obligatio. Est quidem obligatio corrigendi proximum in peccato habituali existentem, etiam si ipse tunc de illo pœnitere, non teneatur, si spes sit, nostra correctione ad pœnitentiam adducendum. Quia existens in peccato, in damnationis periculo existit, quo nulla est maior miseria: ergo cum correctio ad subleuandam miseriam proximi dirigatur, efficitur plane ad hominem in peccato existentem habituali debere dirigi. Adhuc enim ibi omnes circumstantiæ ad obligationem huius præcepti inducendam, nempe proximum esse in graui miseria, & nos posse absque incommodo eum ab illa liberare. Quod vero ipse non teneatur tunc à peccato surgere, in causa non est, quominus nos non teneamur, eius reductionem procurare: ipse enim potest cedere iuri suo, & gratiæ sibi mox donandæ: at nos non possumus cedere bono alterius ex nostra correctione sperato. Sic Suarius *de Charitate disputatione octaua, sectione tertia, numero octauo. Bonacina disputatione tertia, quæstione quarta, puncto septimo, numero quarto, Valentia 2. 2. disputatione tertia, quæstione decima, puncto secundo. Bannes 2. 2. quæstione trigesima se-*

cunda, articulo tertio, dubio primo ad quartum.

Non est obligatio corrigendi proximum de præfenti, si speratur, à se, vel alio suo tempore corripiendus. Quia non censetur, in graui necessitate esse constitutus, nisi ex ausu peccati commissi occasionem sumat aliud peccatum committendi, aut probabiliter existimetur, ita in illo peccato permanens, ut suo tempore de illo non doleat, quod iam est nouum peccatum. Extra hoc periculum persequentia in peccato, etiam si grauis miseria sit, non tamen ex misericordia obligamus procurare illam tollere. Nam si ipse ex Charitate sui, quæ strictius obligat, non obligatur, statim illam miseriam depellere, quare nos ex misericordia obligabimus eius reductionem illico procurare? Haud enim coherere videtur nos esse obligatos corrigere, & illum obligatum non esse correctionem admittere. Ita Abul. ad *Matth. 18. quæstion. 83. Gloss. ad cap. si peccauerit. 2. quæstion. 1. Villalobos *tom. secundo, summa tractatu quarto, difficultate secunda, numero quarto, Suarius de Charitate disputatione octaua, sectione tertia, numero septimo, Sa verb. Correctio, numero primo, & quinto, Reginaldus libro quarto, numero 332. Sotus de regendo secreto, quæstione secunda, conclusionem secunda, Lorca 2. 2. quæstione trigesima tertia, articulo quinto, disputatione quadragesima prima, numero tertio, Turrian. 2. 2. quæstione trigesima tertia, disputatione octuagesima sexta, dubio primo, Coninch. 2. 2. disputatione vigesima octaua, dubio sexto, numero 117.**

Hæc sententia probabilior est plane. Nam cum peccator non statim ac delinquit teneatur conteri, (vti ferè omnes Doctores sententur cum D. Thoma in 4. disp. 17. q. 3. a. 1. quæstion. 4. ad 2. Soto ibidem qu. 1. art. 6. Durando qu. 10. Medina *Cod. de pœnit. qu. 6. Nauarro summ. cap. 1. num. 27. & 29. Suario de pœnit. disp. 15. section. 15.) non teneatur correctionem admittere, quæ sibi tunc adhibetur: ergo nec nos videmur obligati, ei correctionem suggerere. Fateor equidem, existentem in peccato mortali habituali in graui existere miseria: at non in graui necessitate, ab illa forgendum, cum pœnitendi tempus non infuset, & existimetur, illo adueniente fore, ut pœniteat.*

DVBIVM XLV.

An sub veniali teneamur proximum in occasione peccandi venialiter constitutum corrigere?

Non tenemur. Quia per peccatum veniale proximus non est perditus: ergo correctio, quæ ad lucrandum fratrem ordinatur, *Matth. 18. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, in veniali piaculo locum habere non potest. Porro à peccato veniali facillimo negotio se potest, vel in Sacramento, vel extra expedire. Ergo corripientis auxilio non indiget. Sic Paludanus in *quart. distinction. 19. quæst. 3.*

Secl. II. De Charitate, Dubia. 157

question. 3. numer. 4. Alen. lib. 2. summ. tractat. 6. Bannes. 1. 2. question. 32. a. 2. dub. 2. S. a. verb. Cor-
rectio. numer. 5. Reginal. lib. 4. num. 333. Bonac-
cin. d. 3. question. 4. punct. 7. numer. 3. Turtian. 2.
2. q. 13. d. 36. dub. 2. Azor. l. 11. c. p. 4. question. 4.
& alij.

303
Tenemur quidem. Quia hæc est quedam
misericordia, & maioris momenti, quam qualibet
temporalis: Ergo si absque incommodo pos-
sumus corrigendo præcauere, cur non obli-
gabitur? Ita Caiet. summ. verb. Correctio frater-
na. Suar. de Charit. d. 8. sect. 2. numer. 6. Sotus
lib. de regendo secre. memb. 2. question. 2. conclus.
3. Valent. 2. 2. d. 3. question. 10. punct. 2. Villalob.
1. m. 2. summ. tractat. 4. difficul. 2. numero quinto
Lorca 2. 2. dub. 41. numero nono Castro Palao
100. primo tractatu sexto dub. 3. puncto tertio
num. 1.

304
Fateor, primam sententiam esse commu-
nem, sed probabiliorem censurim secundam
esse: esse inquam veniale piaculum, non cor-
rigere proximum in occasione peccandi veni-
aliter constitutum, si ex ea correctione fru-
ctum speremus, & absque incommodo id præ-
stare valeamus. Nam charitas, amicitia, & mi-
sericordia in proximum non solum nos obligat
ne illi consulamus, aut adiuvemus ad peccan-
dum venialiter: sed etiam ne permitamus ca-
dere, cum commode possumus eum à casu re-
mouere. Sicuti in temporalibus non solum
obligamur damnum etiã leue non inferre pro-
ximo: sed etiã præcauere damnum alibi ei immi-
nens, cum possumus. Fateor, Christum Dominum
Matth. 18. de correctione peccati lethalis, non
venialis fuisse locutum. At inde non inferitur,
non esse præceptum de corrigendo fratre veni-
aliter delinquentem in illo præcepto tacite
inclusum, non quidem sub culpa graui, sed
leui; quia leuiter, & secundum quid per pec-
catum veniale deperditur frater, & sic per
correctionem eum lacramur. Dixi autem, nos
obligatos esse sub veniali corrigere fratrem
venialiter delinquentem, si fructum ex tali
correctione speramus, & absque incommodo
illam præstare possumus. Quæ condiciones ra-
ro colligantur, ac proinde regulariter excusa-
mur ab huiusmodi correctione, uti Coninch.
d. 28. nu. 27. aduertit.

DUBIUM XLVI.

An cognitio certa de peccato proximi requira-
tur, ut quis eum corrigere te-
neatur?

305
Non requiritur cognitio certa, sed proba-
bilis sufficit. Quia ex probabili notitia
prudenter quis in correctione procedit: & qui
corrigitur non potest iuste conqueri probabi-
litate (si fuerit opus) delicti commissi
à corrigente obiecta. Sic Sotus de secreto,
memb. secund. question. secunda conclusio.
4. Torres 2. 2. quest. 33. disp. 86. dub. 3. in prime.
Requitur certa cognitio, nec probabilis
sufficit. Quia corripiens sine hac certitudine,
non amorem, sed iram & odium in fratre
Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

concitaret cum illi peccatum forte non com-
missum obiiceret, facillimoque negotio corre-
ctio eludi posset. Ita Adrian. in quarto tract.
de correct. Nauar. summ. capite decimo quarto
numero duodecimo Suar. aliis relatis, disputa-
tion. 8. sectione tertia numero primo Lorca 2. 2.
question. trigesima tertia articulo sexto dubio
quadragesimo quarto numero quarto S. a. verb.
Correctio, fatus, Si mortale incertum, non est
adhibenda correctio. Villalob. tomo secundo
summ. tractatu quarto difficultate tertia nu-
mero primo Coninch 2. 2. disp. 28. dub. 6. nu-
mer. 87.

Hanc sententiam certam omnino esse cre-
diderim. Quæ probari videtur satis ex illo
Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus.
In te (inquit Augustinus) id est, te sciente.
Et existimo primæ sententiæ Auctores id
etiam sentire, dum asserunt, requiri, &
sufficere notitiam probabilem, & pruden-
tem. Cum enim dicunt prudentem, ne-
cessario expostulare debent notitiam deli-
cti commissi, & committendi moraliter
certam.

DUBIUM XLVII.

An si proximus ex ignorantia inuincibili
peccat, sit necessario cor-
rigendus?

307
Elebris questio est, num excusetur à
correctione facienda, eo quod proxi-
mus delictum non cognoscit? Et quidem si
id procedat ex ignorantia vincibili, & culpa-
bili, certum est obinde nos excusari non posse,
cum illa ignorantia non excuset proximum à
peccato. Quid vero si ex ignorantia inuinci-
bili legem transgrediatur?

Non est necessario corrigendus. Quia pro-
ximus non est absolute in spiritualis miseræ
statu cum non peccet. Et quia præceptum
correctionis est de peccato proximi iuxta il-
lud Matth. 18. Si peccauerit in te. Ergo ubi non
adeest peccatum, non est obligatio corrigendi.
Sic loquens de ignorantia iuris positini Ban-
nes de Charit. a. 2. d. 3. q. 13. a. 5. Nauar. summ. c.
24. n. 12. & 13. Valent. 2. 2. d. 3. q. 10. punct. 2. Vil-
lalob. to. 2. sum. tr. 4. difficul. 4. n. 6. Et de qualibet
ignorantia id affirmat Bonac. d. 3. de Charit. q.
4. punct. 7. n. 10. modo non vergat in graue ipsius
delinquentis, vel tertij nocumentum,
neque obligatus quis sit ex officio corri-
pere.

Siue obligatus quis sit ex officio, siue non
siue ignorantia sit iuris positini, siue naturalis,
si monitione fructus speratur, necessario
est proximus corrigendus. Quia id exigit
ipsius reuerentia. Et quia illa ignorantia ab-
solute malum quoddam est, esto culpæ non
imputetur. Et quidem si officio Parochi, Præ-
lati Confessarij, vel domini fungaris fere
omnes Doctores tenent, te obliga-
tum esse. Quia ratione Officij teneris
subditos instruere in præceptotum ob-
seruatione. Et debes procurare, ne
O aliis

307
Hoc certum
esse reor.

308
Status que-
stionis.

309
Non est ne-
cessario cor-
rigendus.

310
Necessaria
corrigendus
est.

aliis scandali occasione exhibeant, quod saepe vel materiali legis transgressione causatur. Et impedire, ne alij intelligant subditorum errores à te approbari. Ita Sanch. l. 2. de matr. d. 38. num. 5. Bonac. d. 3. quæstion. 4. punct. 7. numer. 10. Et quando ex Officio non obligaris. Lorca 2. 2. dub. 4. m. 15. Suar. de Charit. dub. 8. sect. 2. numer. 6. Azorius libr. 12. capit. 15. quæstione quarta & 5. Coninch 2. 2. disput. 28. dub. 4. num. 38.

311
Cum his
probabilibus
opinor.

Cum his probabilibus opinor. Nam regulariter ex materiali legis transgressione fit quis facilis ad formalem. Ergo si commode valeas hoc periculum vitare, quænam causa inesse potest, ut exculeris. Certe si transgressorem legis non corrigis, cum potes, tacite denotas, eam transgressionem approbare, & scandalum generas.

DVBIVM XLVIII.

An spes probabilis fructus sufficiat ad præcepti Correctionis obligationem?

312
Quæstio
status.

Existimo cum communi Doctorum spem fructus necessario requiri, ut correctio sit in præcepto: alias enim esset otiosa. Moneo tamē non esse necessarium fructum ex correctione statim sperari: sufficit enim, ut decursu temporis speretur futurus. Difficultas autem est, quæ spes requiratur? an sufficiat probabilis?

313
Non sufficit
probabilis
spes.

Non sufficit probabilis, sed certa debet esse. Quia ad actionem adeo difficilem exercendam, non videtur præceptum obligare posse sine certa emendationis proximi spe. Sic Caiet. sum. v. Correctio.

314
Sufficit omnino.

Sufficit probabilis fructus spes. Quia si certa requireretur, nunquam adesset correctionis gerendæ obligatio, cum talis certitudo esse non possit, siquidem est de re ab alterius voluntate dependente. Quare sufficit probabile esse, correctionem profuturam, & non obfuturam, ut corrigere quis obligetur. Ita D. Tho. 2. 2. quæstion. 33. articulo secundo ad tertium Bannes hic, articulo secundo dub. ultim. Torres 2. 2. disputat. 86. dub. 3. Adrian. Sotus, & alij, quos refert, ac sequitur Suar. disput. octava de charit. sectione tertia numero tertio D. August. libro primo de Cinit. capite nono dum damnat eos, qui metuunt leniter, proximum corrumpere, cum fortasse possent corripiendo corrigere.

315
Hoc defendo, & expono.

Receptam ab omnibus hanc sententiam defendo. eam Medici exemplo explicans, & illustrans. Tenetur ille ægro corporalem medicinam præbere, quam credit probabiliter, profuturam, & non obfuturam. Ergo etiam Medicus spiritualis tenebitur, medicinam probabiliter salutiferam peccatori offerre, cum sciat, nullum ex illa damnum esse accepturum. At si probabiliter tibi persuadeas, nihil per correctionem effecturum non teneris illam exercere. Et quando dubius es, an correctio sit profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio.

Secus si dubius sis de profectu, ac securus de damno non inferendo. Verum in extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumento, est adhibenda. Quia nocumentum, adhibita correctione, est certum gravissimum, & irreparabile, utpote damnatio æterna. Nocumentum vero ex correctione timendum non est ita grave, quod abunde non compensetur spe etiam dubia, illum æternum nocumentum reparandi.

DVBIVM XLIX.

An peccator, dum in crimine existit, teneatur proximum delinquentem fraterne corrigere?

Suppono, omnes obligatos esse corrigere proximum, cum sit præceptum naturale ac divinum omnes adstringens. Vnicuique enim Deus mandavit de proximo suo. Eccl. 17. Solum de peccatore dum in crimine existit quæserim, num proximum corrigere teneatur.

Non tenetur. Quia ipse indiget correctione, ineptusque est ad corrigendum, cum ei dici possit: *Hypocrita, Eripe prius iram tuam de oculo tuo, & tunc prospicies, ut deducas fœsulcam de oculo fratris tui.* Et illud, *Meditare, cura te ipsum.* Sic nonnulli Doctores haud infirmè notat.

Tenetur quidem. Quia potest proximum delinquentem corrigere, non exprobrando eius peccatum, neque se iustiorē ostentans, sed potius cognoscendo se iniustum & suam indignitatem per humilitatem ostendendo. Hoc modo proculdubio potest efficaciter corrigere proximum. Ita D. Tho. 2. 2. quæstion. 33. art. 5. Torres ibi, d. 88. dub. 2. Valent. 1. 2. d. 3. q. 10. punct. 3. Palao tom. 1. tract. 6. dub. 3. punct. 7. numer. 2.

Ego quidē his hærescens Doctoribus crediderim, in tali casu haud esse posse dubium, quin peccator in crimine existens præcepto correctionis gerende obligetur. Fateor tamen primæ sententiæ ratione, me omnino convinci peccatorem publicum, vel notorium corrigendo regulariter deobligatum esse à correctione faciendâ utpote ineptum, & à cuius monito nullus fructus speratur. Quod ex Castro Palao accipi. Attamen cum eodem resoluo, obligari adhuc, si valeat facile modum à Doctoribus secundæ sententiæ traditum adhibere. Illud autem sine cunctatione, ne crediderim, peccatorem occultum obligari ad corrigendum. Quia potest exhuiusmodi correctione fructus sperari.

D V B I V M L.

Qui ob peccatum proprium ineptus est ad proximum in extrema necessitate existentem corrigendum, teneturne penitentiam de crimine agere ut aptus ad corrigendum reddatur?

³²⁰ *Nonnulla premitto.* **E**xtra casum extremum eum non teneri existimo. Quia absque penitentia potest insufficienter per humile monitum corrigere. Nec vllus tenetur diuitias quarere, etiam si prodige consumpsisset, vt elemosynam grauer indigenti faciat. Ab hac doctrina excipio Prælatus, cui ex Officio correctio incumbit, qui aut officium debet deponere, aut se in statu apto correctioni constituere. Lorca 2.2. *question. 3. artic. 5. d. 42. n. 12.* Coninch 2.2. *d. 18. dub. 7. num. 3.* Valent. 2.2. *d. 3. q. 10. pun. 9.* Bañes 2.2. *q. 3. a. 5.* Quid si proximus constitutus in extremis correctione indigeat, & fructus ob peccatum corrigentis impediantur, teneturne de crimine penitentiam agere, vt aptus ad corrigendum reddatur?

³²¹ *Teneturne p. m. r.* Tenetur quidem. Quia charitas obligat misereri proximo, eiusque fragilitati attemperari. Sic Suar. de Charit. d. 8. *sect. 4. n. 6.* Torres 2.2. *d. 88. artic. 5. dub. 1.* Bannes citat. *conclus. 5.* Villalob. *tomo secundo summ. tract. 4. difficul. 8. numer. 2.*

³²² *Non tenetur.* Non tenetur. Quia peccator tenetur correctionem admittere, à quocumque fiat, præcipue in mortis articulo: & corrigens sufficienter proponit, quid faciendum sit, temperando humilitate sermonis suam indignitatem. Ergo correctionis præcepto satisfacit: sicut satisfacit elemosynæ corporalis præcepto, qui illam in lethali existens impertit. Ita Valent. 2.2. *dub. 3. questione decima punct. 3.* Castro Pal. *tomo primo tract. 6. d. 3. pun. 7. numer. 6.* Sotus *relect. de secreto. memb. 2. questione tertia conclus. 6.* Coninch 2.2. *disputat. 28. dub. 7. numer. 1. 32*

³²³ *Auctoriz. regulat.* Fateor primæ sententiæ doctrinam mihi esse difficilem. Quia correptus non potest aduersus se corripientem retorquere argumentum, vt se ipsum curet, cum facile satisfieri possit. Medicū emendandum fore, si in simili necessitate esset constitutus. Agit ergo quantum videtur necessarium, vt correctio sit fructuosa. Si vero fructu careat, ex malitia correcti, & non ex defectu corrigentis prouenit. Igitur ratione præcepti correctionis raro vel nunquam, quis tenebitur, nisi Prælatus sit, penitere. At ratione scandali obligatio esse potest, quando scilicet quis suo crimini, exemploque prauo efficit, vt proximus peccatis inhæreat.

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

D V B I V M LI.

An peccent lethaliter Concionatores, aut iudices, delicta proximi in peccato corrigentes?

Lethaliter peccant. Quia sunt actiones ³²⁴ *Lethaliter peccant.* Quasi Sacra à peccatoribus non exercenda. Sic Caiet. 2.2. *q. 187. a. 1. & 3.* & insinuat ibi D. Tho. Syluest. v. *Correctio. n. 16.* loquutus de correctione iudiciali.

Non peccant lethaliter. Quia hæ actiones ³²⁵ *Non peccant lethaliter.* nec sunt annexæ ordinibus Sacris ex Christi Domini institutione; nec sunt ita Sacra, quin à peccatoribus effici possint. Ita Suar. de Charit. d. 8. *sect. 4. n. 6.* Sermonem gerens de Iudice: & de Concione loquens 10.3. in 3. p. d. 16. *sect. 3.* Medina C. de penit. tr. 2. *qu. 6.* Torres 2.2. *question. 33. artic. 5. disput. 88. dub. 2.* Villalob. *tomo 2. summ. tractat. 4. difficul. 8. numer. 3.*

³²⁶ *Hoc dicendum existimo.* Hoc omnino dicendum existimo. Nulla enim mihi ratio efficax sese offert, qua obligetur Concinator, aut Iudex in gratia existere, vt peccata publica corrigant.

D V B I V M LII.

An ordo Correctionis à Christo Domino assignatus Matth. 28. sit in præcepto?

Ordinem Correctionis sic Dominus præscripsit: *Si peccauerit in te id est, te scientes frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quod si te non audierit, induces testes vni vel duos. Si illos non audierit, dices Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Profecto correctionis ordo constituitur primo, vt peccantem admoneas secreto, & absque teste vlllo. Deinde si secreta correctio non proficit, testes adhibentur, vt te in correctione adiuent, forte enim peccator, qui te contempsit, testes reuerebitur. Quapropter solum sunt inducendi, quando speretur, ex eorum inductione delinquentis utilitas. Lorca 2.2. *q. 33. a. 8. d. 46. n. 20.*

³²⁸ *Nō est sub præcepto.* Non est sub præcepto seruandus, sed sub consilio solum. Quia Christi Domini verba nō videtur generalia cum solum de peccatis, quæ sunt iniuriola corrigenti loqui videatur, in quibus secreta correctio vix habet locum, sed illa omissa, potest ad denunciationem procedi. Sic Martinus de Arenalo tr. de correct. frat. Salmer. to. 4. in Euang. part. 3. tract. 11. Quia alias rationes, & testimonia adducunt, quæ hanc sententiam probabilem esse defendunt.

³²⁹ *Sub præcepto est.* Est seruandus non solum sub consilio, sed sub præcepto. Quia Christus Dominus ibi tradidit correctionis præceptum, & modum quo fieri debet. Non quia nouū aliud præceptū tulerit, quod ex ipsa nature lege

ge nō oriatur, sed quia praeceptū à lege natu-
rae obscurius traditum clarius explicui. Ipsa
enim natura dicitur, corrigendum esse proxi-
mum cum memori damno famae, & honoris,
quo fieri possit: unde si absque testium indu-
ctione corrigi valeat, ipsa natura dicitur, ut sic
correctio sit: etsi vnicus testis sufficit, quare
duo sunt adducendi: Igitur ordo hic est in
praecepto. Ita definitum videtur ab Innocent.
III. in cap. Nouis, de iudic. & cap. Cum ex iniun-
cto, de heretic. & ab Alexand. III. in cap. Licet
Heli, de simonia. Lorca ubi supra Torres 2. 2. d.
89. dub. 2. concl. 1. & 4. Suar. to. 4. de Relig. l. 10.
c. 7. n. 10. Coninch d. 18. d. 8. n. 138. Villalob. to.
2. sum. 17. 4. diffin. 9. Valent. 2. 2. d. 3. q. 10. p. 1.
5. Bannes 2. 2. question. 53. articulo octavo
dub. 1. conclus. 4. & alij plures, quos hi refe-
runt.

330 *Hoc mihi
admodum
certum.* Hae sententia mihi admodum certa. Nam
rationes, quae Doctores illi primae sententiae
probabilitatem conantur adituere, solum pro-
bant, hunc ordinem non esse semper seruand-
um, sed debitis temporibus, & circumstantiis
quando scilicet est secretum delictum, & per
correctionem secretum sufficienter emenda-
tum praesumitur, neque alia ratio boni comu-
nis, quae cessio iuris cogit illum omittere. Porro
quod Christi verba generalia esse non videan-
tur, cum solum de peccatis corrigenti iniurio-
sis visus sit loqui: Si peccauerit in te frater tuus,
minime obstat. Nam esto expresse de solis il-
lis peccatis Dominus loquatur, ex communi
Ecclesiae sensu ad omnia alia peccata, quae pro-
ximus, te sciente, committit, extenduntur.
Quemadmodum Mat. 25 Operibus tantum
misericordiae vita aeterna promittitur, & ta-
men inferunt omnes Patres, ac Doctores de
reliquis bonis operibus idem esse dicendum;
qua est aequa, vel efficacior ratio: ita in praes-
enti.

DUBIUM LIII.

*Potestne iuri suo quis renunciare, ne secum
hic ordo seruetur quando alias ex prae-
cepto diuino erat seruandus?*

331 *Renunciare
non potest.* Renunciari iuri suo non potest. Quia est
R quilibet propriae famae dominus, unde
ob aliquem honestum finem pati illa posset
detrimentum: at praeceptum diuinum de or-
dine in correctione seruando, non solum attē-
dit famam proximi, ut quam minus fieri pos-
sit, laedatur, sed praecipue attendit bonum ip-
sius correctionis, ut melius, ac congruen-
tius fiat, & pacem, ac quietem com-
munitatem, & rixarum euitationem, quae
ex occultorum defectuum manifestatione pos-
sunt oriri: cui iuri quilibet priuatus cadere
nequit. An nō saepe Praelatus minus aptus alio
particulari ad corrigendum erit, vel quia gra-
tus delinquenti non est, vel ob eius imperitiā
forte, aut per prauū affectū? Ergo in casu huius
poterit subditus se abdicare iure, quod habet
de secreta sibi monitione gerenda: alias renū-

ciatio prodiga f. mae esset, ac perniciosa. Cum
autē qualibet in Religione plures esse possint
Praelati inefficaciores in corrigendis secretis
subditorum piaculis, quam alij particulares,
effici videtur, non posse generatim hoc ius re-
nunciari. Sic Philarc. de offic. Sacerd. 10. 1. p. 1. d.
4. c. 14. Lorca 2. 2. q. 33. a. 8. d. 47. n. 13. & alij
in manuscriptis.

Potest equidem renunciare. Quia quilibet
potest ob honestos fines detrimentum in fa-
ma & honore pati, etiā si dominus famae pro-
priae ac honoris non sit: Ergo potest renun-
ciare ius quod habet, ut sibi fama integra co-
seruetur in correctione ob honestos fines
quales sūt maior spiritualis correcti profectus,
maior à reciduo securitas, submissio, & hu-
militas propriae communitatis integritas. Ne-
gari enim non potest, Religiosum maiori
circumspectione processurum, si sciat,
peccata propria occultā à quolibet sciente
extra Confessionem, vel gratia petendi auxi-
lium, esse superioribus manifestanda, omnia
correctione, securiorem à reciduo esse, & co-
munitatem magis idemnem seruari. Ita Ban-
nes 2. 2. q. 3. a. 8. dub. 2. Petr. de Ledes. sum. 16.
2. tit. 4. c. 4. Sancius in selectis d. 46. n. 28. Canta-
rel. Decal. l. 2. c. 69. n. 2. 1. Alfonso Rodrig. 10. 3.
tr. 8. c. 6. de correct. frat. Sanch. Decal. l. 6. c. 18.
Valent. 2. 2. d. 3. question. 10. punct. 5. Torres de
charit. quaest. 33. artic. 7. d. 89. dub. 4. Suar. d. 8. de
charit. sect. 6. numer. 12. & 17. Ribadeneira de
inst. Societ. cap. 34. Castro Palao tom. 1. tr. 6. d. 3.
punct. 9. n. 2. Coninch 2. 2. d. 18. dub. 1. n. 197.
& alij.

332 *Hanc sen-
tentiam cer-
te esse de-
finitam
tanti leu-
circa fra-
ternā com-
muni au-
thoritatem
expres-* Certa sententia mihi est, posse quemlibet, &
totā aliquā communitatē (vt sanctissime
nostra Religio Societatis Iesv gerit) renunciari
iuri, quod habet, ut sibi peccata secreto corri-
gantur, priusquam deferantur ad Praelatum
ipsumque deferentem nullius culpe esse reum,
etiā si correctionem non praemiserit. Nam si
subditus ob praefatos fines propriū peccatū
Praelato manifestaret proculdubio laudandus
esset. Ergo etiā si ex ipsius consensu eius pec-
catum alius manifestet superiori, opus ge-
ret laudabile. Dic quæso, si proximus iam fa-
mam apud Praelatum amisisset, recte posset
quisquam id sciens cum illo de socij peccato
agere, si ex bono fine duceretur ad hu-
iulmodi tractationem. Ergo idem dicen-
dum, quando ipse proximus non vult suam
famam apud Praelatum seruari, sed alij ius-
ta de causa potestatem impertit, ut illi
peccatum manifestet. At hic finis obtinetur,
quando ex ipsius correcti voluntate deli-
ctum superiori quis manifestat. Quem
admodum obtinetur finis praecepti seruan-
di sigilli in confessione, (qui est, non solum
famam proximi conseruare, sed & facilitas ip-
sius Sacramenti, & rectus illius usus) qui qui-
dem finis obtinetur, vel, ut aptius dicam, nul-
lomodo laeditur, quando ex poenitentis vo-
luntate culpa ad rectum finem manifestan-
tur. Equidem cessio iuris à Religiosis nostrae
Societatis facta non est temeraria, sed pru-
dens: ac proinde etsi generatim fiat subin-
telligitur fieri, seruato fine praecipuo corre-
ctionis, qui est correctio, & emendatio delicti,
quem

Secl. II. De Charitate, Dubia. 161

quem finem, si certum non sit per Prælatum non esse obtinendum, vel non esse obtinendum ita bene, ac per inferiorem vel de eo dubium est, quod raro contingere potest, præcipue in Societate nostra, ubi superiores tot informationibus de vita & moribus præcedentibus assignantur, hæc quæquam tunc censetur quis iuri conservandæ famæ cedere. Abul. ad cap. 18. *Matth. questio. 98.* Sanchez lib. 6. *Decalog. capit. 18. numer. 47.* Infero, nemini licere hanc nostram Regulam de cessione iuris, & manifestatione delicti, quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæstio colore, directe, vel indirecte impugnare. Tum quia à Paulo III. & Iulio III. nostrum Institutum fuit approbatum, & confirmatum, & in eo omnes constitutiones, præcipue quæ contradictionem patebantur. Tum quia Gregorius XI. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino* prohibet sub excommunicationis pœna hanc nostri Instituti impugnacionem, ac cuiusvis constitutionis. Tum quia de facto idem Gregorius damnauit libellum cuiusdam, qui hanc nostram constitutionem impugnauit. Coninch *disput. 28. dub. 12. numer. 226.* Suar. *tomo quarto de Relig. libro decimo numero primo fine.* Alfonso. Rodriguez *Exercitij perfect. parte tertia tract. 8. capit. 6.*

D V B I V M LIV.

An quando existimatur, Prælatus melius delinquentem correcturus, quolibet peccatum quantumvis secretum possit omnia secreta correctione deferri?

³³⁴ *Questio 12. sum.* Neminem potest esse dubium stante iuris cessione posse peccatum proximi ad Prælatum ut ad Patrem deferri. Quæstio autem est num cessione seclusa, possit correctio secreta omitti, & peccatum occultum illi manifestari, quando creditur. Prælatum aptius esse delinquentem correcturum.

³³⁵ *Minime potest.* Minime potest. Quia manifestacione criminis Prælato facta, fama proximi læditur. Ergo cum læsio hæc necessaria non sit, apponi non potest, etiam si Prælatus valeat aptius operam dare correctioni. Sic Adrian. IV. *quæ de correct. frater. 8. Pro huius decisione Sorus de secreto. memb. 2. questio. 4. dub. 3.* Nauar. *ad cap. Inter verba, questio. 2. concl. 2. num. 113.* Nauarra *de restit. lib. 2. c. 4. dub. 12. numer. 120.* Petr. de Ledsel. *tomo 2. summ. tractat. 4. diff. 6. conclus. 2. 4.* Lorea *2. 2. questio. 33. a. 8. sect. 3. d. 47. dub. 10. num. 7.*

³³⁶ *Potest omni.* Potest quidem omnia secreta correctione, Prælato ut Patri manifestari delictum in hoc casu. Quia Medicus corporalis prudenter utitur acerbiori medicamine, quamvis valde necessarium non sit, si tamen est valde vtile. Ergo etiam si correctio per Prælatum non sit necessaria simpliciter, si tamen est valde vtilis, & secreta correctione efficacior: poterit quis, hac omnia, delictum ad Prælatum deferre. Ita Escob. & Mend. *Theol. Moral. Tom. VI.*

Suar. *de Charit. d. 8. sect. 6. numer. 17.* & latius *10. 4. de Relig. l. 1. c. 9. & 10.* ex D. Tho. & Richardo. Castro Palao *tomo 1. tract. 6. d. 3. pun. 10. num. 3.*

Cum his opinor. Iudicans tamen Religio-³³⁷ nibus hanc sententiam aptiorem esse, & sequi oportere, cum iudicatur sic errantem aptius posse reduci. In aliis vero, quia magis sui iuris sunt, ad vitandam non esse, nisi notabilis fructus pro certo speretur. Porro in Religiosis præcipue in nostra Societate præsumendum est subditum delinquentem melius per Prælatum esse corrigendum, quam per quemlibet particularem, dum contrarium non constat. Quia Prælatus peccati occasiones remouere potest, quod non potest alius subditus. Et quia remedia applicare valet, quæ per alios subditos adhiberi nequeunt Coninch *2. 2. d. 28. dub. 11. num. 202.* Suar. *10. 4. de Relig. lib. 10. c. 9. num. 11.*

D V B I V M LV.

An mortaliter peccet Rector Collegij, qui Provinciai subditi delictum, quem absque tali manifestatione corrigere, & emendare potest, manifestat?

³³⁸ *Multa certa mihi re. colo circa qua Prælatus possit, & non possit, ex denunciatione sibi ut Patri facta.* O Peræ pretium est, indicare, quid possit, & quid non possit Prælatus facere ex denunciatione sibi ut Patri facta de subditi delicto. In primis certum est, non posse ex tali denunciatione iudicialiter procedere. Potest tamen aliqua moderata poenitentia delinquentem punire. Potest subditum à loco & Officio remouere, si id absque infamia geri valeat. Sed circa huiusmodi demonstrationem debet magna uti prudentia. Potest alicui vel aliquibus viris grauib. delictum manifestare, si hoc necessarium sit ad subditi correctionem. Potest subdito delinquenti socium designare si delictum, qui eius exploret actiones, & Prælato deferat. Potest subditum delinquentem coram duobus vel tribus testibus reprehendere, si ei moraliter de delicto cõstet, saltem per delationem vnus oculati testis, de quo nulla possit esse suspicio falsum impositorium. Si per denunciationem paternam remedium sufficiens non adhibetur, & delictum cõmunitatis vergit in damnum vel tertie personæ nocet, tenetur denunciare iudiciali delationi operam dare. Quæsierim verò, nū lethaliter delinquit Rector, qui Provinciali subditi delictum sibi ut Patri delatum manifestat cum ipse sine tali manifestatione valet subditum emendare.

³³⁶ *Lethaliter peccat.* Lethaliter peccat. Quia iam illa manifestacio delicti, & amissio famæ non habet paternæ delationis finem, quæ est fratris lucrum, cum absque illa lucrari eum Rector potest. Si tacite innuitur in nostra Congregat. VI. decreto 63. ibi. *Potest etiam vnus superior dicere rem sic delatam & notam alteri superiori eiusdem delati, quando res ita posita fuerit ad finem paternæ delationis.* Ergo è contra quando id non ita res non exposita, lat nequaquam poterit. Castro Palao *part. 1.*

340
Non peccat
lethaliter.

part. 1. r. 6. d. 3. punct. 11. numer. 7.
Non peccat lethaliter. Quia licet id non expostuletur, ut necessarium, expostulatur ut conueniens, ne Prouincialis ignarus huius delicti, similibus, vel grauioribus incommodis delinquentem exponat. Ita idem Ferdin. de Castro, qui quidem hac ratione affectus probabile esse indicat, nullum peccatum in tali manifestatione committi.

341
Auctoris
resolutio.

Ego quidem hanc sententiam etiam existimo esse probabilem. Nam si in materia detractionis, (vti Volum. 5. vidimus) reuelare peccatum vni, vel duobus viris grauib, qui magis prodesse, quam obesse possunt, lethale piaculum non est (etiam si ex leuitate, & loquacitate reueletur) ex probabili sententia, à fortiori probabile erit, quando ex recto sine manifestatur. Attamen, quia in osium aperitur manifestandi pluribus delictum commissum, probabilius crediderim, cum Castro Palao citato, non licere Rectori Prouincialem monere. Quia si solum ob maiorem à reciduo securitatem, & non ob necessitatem, quæ appareat, monere licet: etiam licebit monere quemlibet superiorem immediatum, quem delinquens habeat, & Prouincialem sequentem, cum eo modo delinquens securior à reciduo erit: quod quidem non est concedendum. Vnde eadem Congregatio VI. decreto 6. Congregatio VII. decreto de manifest. delicti capite decimo quinto numero secundo. Sine urgenti necessitate, & magna utilitate nemini esse crimen delati reuelandum. Expende verba. Sine urgenti necessitate, & magna utilitate. Quæ non conuenientiam, sed necessitatem magnam indicunt.

DUBIUM LVI.

Cum Prælati subdito, cuius delictum ut Pater agnouit, designat socium fidelem, qui eius exploret actiones, & sibi deferat: potestne socio designato significare, se male de subdito sentire, ut sic diligentius explorationi student?

342
Questionis
status.

Inui Dub. proximo, posse Prælatum subdito delinquenti socium designare fidelem, qui eius actiones exploret, & sibi deferat. Quia superior ratione sui Officij obligatus est, vitam subditorum inquirere. Quia propter D. Gregor. libr. 2. Regist. Epist. 52. nullomodo excusat Prælatum à correctione subditorum eo, quod dicat, se subditorum delicta ignorare. Quæ (inquit) potest esse Pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & Pastor nescit? Ergo signum clarum est, teneri Pastorem vigilare, & examinare, an lupus oues comedat, & damnum inferat. Igitur questio est, an illi socio fideli designato possit Prælati significare, se male de subdito sentire, ut sic diligentius explorationi studeat?

343
Potest qui-
dem.

Potest Prælati socio significare, aliquam malam se de subdito habere suspicionem, di-

cens: Obserua illum: si iam apud Prælatum subditus hic designatus potest, non præmissa correctione, delictum fratris superiori ut Patri deferre. Quia vnum & alterum ad spirituale bonum subditi ordinatur, nec magnum inco- ueniens videtur esse, defectum eius vni prudēti ac religioso socio à Præsule reuelari. Sic Bañes 2. 2. q. 33. a. 3. d. 2. Torres ibi. d. 89. dub. 5.

Non potest socio indicare de subdito non bene sentire. Quia si absque malæ opinionis significatione potest socio illi vigilantia commedari, quænam causa esse potest infamationem illam honestam. Nec socius potest, non præmissa correctione, superiori deferre delictum. Quia si delinquens correctione fraterna sufficienter intelligitur emendandus æque bene, ac per Prælatum, (taro succedet) non debet Prælo denunciari. Nam apud Prælatum grauata sit iam eius opinio, haud dubium, quin multo amplius per repetitionem delicti grauetur: quod si excusari possit, charitas id exigit. Ita Ferdin. de Castro r. 1. r. 6. d. 3. punct. 11. numer. 9.

Ego quidē si superior corrigens delinquentem de eius emendatione securus non mansit, existimo cum eodem Doctore, posse socio exploratori significare, se non recte de tali subdito sentire, ac proinde necessariam esse vigilantiam specialem; ut sic via socio aperiar superioris crimē, si viderit, deferendi. At in tali casu socius præsumere non debet, se posse efficaciter corrigere, cum præsumere debeat monitum fuisse, sed non emendatum. Vnde absque præmissa correctione debet tunc manifestare, & Prælati sub præcepto ad eius obligare manifestationem. Tum quia nomine Prælati delictum cognoscit, tum quia præsumere non potest rationabiliter, correctione fraterna esse sufficienter emendandum.

DUBIUM LVII.

Si proximus de delicto commissio sit iam emendatus, potestne quis Prælo ut Patri illud deferre, ut sic delinquens securior à reciduo existat?


Potest quidem. Quia talis manifestatio potest prodesse, & non obesse. Potest enim Prælati cum sit occasiones & pericula relabendi iterum remouere. Ergo prodest. Ex scientia illius delicti ad punitionem non potest procedere. Ergo non obest. Sic Richard. in 4. dist. 19. artic. 3. questio. 1. Gabr. in Can. Miss. lect. 74. litter. V. Rosel. verb. Inquisitio. Angel. verb. Denunciatio. numer. 10. Graf. part. 1. Decis. lib. 2. cap. 69. numer. 30. Gerl. part. 2. tit. de correct. prax. Alphab. 14. litter. T. videtur consentire Alphonsi. Villagutier. libro secundo tit. de denunc. Euangel. conclus. 5. pag. 94. & 96.

Minime potest. Quia fama apud Prælatum plurimi estimatur à subditis, & agius ferunt apud illum infamari propter eius dependentiam, quam apud plures socios. Ergo ob solam

Seet. II. De Charitate, Dubia. 163

maiores securitatem huiusmodi infamatio licita esse non potest. Nemini enim licet, bona temporalia à proximo auferre eo fine, ut securior sit in virtute: alias liceret, diuitias ab eo auferre, & pauperibus impertire, ut pro illo exorent. Ita Adrianus *qu. de correct. 5. Pro huius decisione. Sotus relect. de secreto, membr. 2. qu. 4. conclusio. 4. Sa verb. Correctio, numer. 4. Nauarr. summ. cap. 2. 4. num. 17. Aragon. 2. 2. quæst. 33. art. 7. Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 10. punct. 5. Nauarr. lib. 2. de res. sit. cap. 4. part. 2. dub. 12. num. 120. D. Thom. Antonin. Sylvest. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez libro 6. Decalogi capite 18. numero 49*

348
Ego autem probabilius his hærens Doctores, existimo, si certo tibi constat, fratrem esse emendatum, nec periculum probabile relabendi habere, nullatenus posse eius delictum superiori manifestare, nisi ipse expresse consentiret: neque consensum in Societate nostra præstitum ad hunc casum extendi. Nam finis præcipuus in Societate, ob quem mandantur delicta superioribus deferri, est correctio delinquentis, quod constat ex reg. 10. Boni etiam omnes consulant, ab alijs corrigi, & ad aliorum correctionem inuare debito cum amore, ad maiorem spiritus profectum. Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus, neque periculum sit recidui, cessat finis, ob quem consentit, delicta superioribus deferri per quemvis, qui extra Confessionem, ea accepit. reg. 9. Attamen si proximus periculum probabile subeat relabendi, si prælapsum eius peccatum Prælato non manifestetur, manifestandum esse, non dubito, cum Valentia *disputation. 3. quæstion. 10. punct. 5. D. Thomam, Adrianum, & Sotum citante: ut subditum præseruet. Probabile periculum relapsus vocito, quando ita proximus occasionibus peccati est innodatus, ut moraliter loquendo, iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur. Nam de alio periculo magis remoto non est curandum, cum omnibus tale insit periculum ex naturæ fragilitate.*



CAPVT XVIII.

Circa Odium, Inuidiam, Chis-
ma, Vitia Charitati con-
traria.

DVBIVM LVIII.

An in odio proximi sint plures actus
specie distincti?

49
RECOLO, Odium esse charitati contrarium, dupliciterque contingere. Primo, abominando personam proximi tanquam tibi contrariam, & desiderando, ut non sit: & hic actus est Odium abominationis. Se-

cundò, desiderando illi aliquod malum ex præfata abominatione, quod Odium inimicitie vocatur. Quodcumque ex his odiis circa Deum lethale est, nec fieri potest veniale ex materia leuitate. Circa proximum vero aliquando potest esse veniale, verbi gratiâ, si quis proximum absque iusta ratione leniter auerteretur, malumque ei leue exoptet, vel plena non adsit deliberatio. Odium proximi ab odio Dei differre specie non dubito. Quia licet utrumque Charitati opponatur: diuersimode tamen opponitur. Vnum namque Dei Maiestatem directè, alterum indirectè offendit. Maior est difficultas de odio proximi, num in eo sint plures actus specie distincti?

Non sunt. Quia odium non sumit speciem, neque indiuiduitatem ex obiecto materiali, sed ex formali: obiectum autem formale semper est idem, scilicet personæ displicentia: ergo quantumvis obiecta materialia varientur, actus non variatur. Hinc inferitur, te obligatum non esse, in Confessione manifestare, quæ mala proximo desiderasti: sed satisfacere, si dicas, te odio proximum toties fuisse prolecutum, optando illi graue malum. Quia omnia illa mala sub eadem ratione sunt appetita, scilicet quia proximo mala erant. Sic Caietan. 2. 2. quæstion. 74. art. 6. ad vltim. Bonacin. *disputat. 3. de Charitate quæstion. 4. punct. vltim. num. 6. Torres 2. 2. disputation. 9. dub. 6. Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 11. punct. 2.*

Sunt quidem plures actus specie distincti. Quia vnum odium proximi ab alio differre potest tum ex fine, quo eum odio habes: tum ex malo, quod illi exoptas. Ex parte finis differre si proximum auerferis, quia est Dei imago ad beatitudinem creatus, qualiter decemones nos odio habent: aut quia aliquam tibi iniuriam intulit; utrumque enim odium est odium proximi, etiamsi primum ex odio Dei ortum habeat: ergo negari non potest, vnum actum ab alio differre. Ex parte vero mali, quod proximo optas, etiam specie differunt. Quis enim abneget, optare inimico, ob illius displicentiam, æternam damnationem, esse diuersum peccatum in Confessione aperiendum ab eo, cum solum amissionem status, & temporalis vitæ desideras, cum diuersæ rationis eum priuaret bonitate? Ita Suarius *disp. 6. de Charitate sect. 2. numero 2. Palao tomo 1. tractatu 6. disputation. 3. puncto 1. numero 7. Coninch. disputat. 29. dub. 3. numero 61.*

Hoc dicendum existimo. Nam voluntas inferendi proximo malum in vita, diuersum peccatum est à voluntate inferendi malum in fama, aut pecuniâ: ergo etiam voluntates, quibus hæc mala appetuntur euenire, diuersæ sunt. Quia species odij inimicitie non sumitur præcisè ex displicentia, & auersione personæ, quam auerfaris: sed ex malo, quod illi desideras. Alias nullum odium proximi esset odium inimicitie, sed odium solum abominationis. Ex quo infero, in Confessione omnino esse explicanda, uti Suarius, & Coninch. expresse docent.

350
Non sunt
odij in pro-
ximum plu-
res actus
specie di-
stincti.

351
Sunt plures.

352
Hoc dicen-
dum omnia
no reor.